a leone archidyacono postea urbis rome epo⁹ scripsit aduersus nestore de incarnatione dni libros septem: et in hijs scribendi apud massilia et vinedi fecit fine. theodosio et valentiniano regnantibus Cassiodor⁹ i libo q ititulat itroductoi⁹

CAssianus eloquentissimus psbiter et monach⁹ int ipa initia sci ppositi coscripsit de institutione fideliu monachoru otto pncipalia vicia ee fugienda: et norios motus aioru ita copetet isinuat ut excessus suos hoiem pene vide faciat et vitare copellat: quos antea cofusione calignis ignorabat Itē cassiodor⁹: sup ps ctesimu

SIquis cupit de oronis plenissima xlim re uberrime saciari legat facundissimum cassianu: qui in nona et decima collacoibus tanta et talia de oracionu generibus disputauit ut euidenter sps scus locutus fuisse videatur per ipm

IN noie sce et idiuue trinitatis ordit pfacio Johanis q et cassian⁹ i duodeci libros de istitutionib; mostio rogatu bte meone Castois ppe editos Sec alis titulis copediosis Incipit pfacio librorū cassiani de istitutis monstiorum

Prologus.

Veteris instrumenti narrat
hystoria sapientissimum sa-
lomonem post acceptam divi-
nitus sapientiam prudenciamque
multam nimis et latitudinem
cordis quasi harenam maris
innumerabilem ita ut domini
testimonio nullus ei similis
retroactis temporibus extitisse neque post eum surrecturus
esse dicatur: illud magnificum domino templum exstruere cupientem
alienigene regis tyri auxilium poposcisse. Cumque mis-
so ad se hyram filio mulieris vidue quicquid divina
sapientia suggerente preclarum in templo domini vel in sacris
vasis moliebatur: ministerio eius ac disposicione perfecit.
Si ergo ille universis regnis terre sublimior princi-
patus et israhelitici generis nobilior excellenciorque
progenies illaque sapientia divinitus inspirata. que cunctorum
orientalium et egipciorum disciplinas et instituta su-
perabat. nequaquam pauperis et alienigene viri auxilium
dedignatur: recte eciam tu hiis eruditus exemplis
beatissime papa castor. verum ac racionabile deo templum
non lapidibus insensibilibus. sed sanctorum virorum
congregacione. nec temporale et corruptibile sed eternum
atque inexpugnabile edificare disponens: vasa eciam
preciosissima domino cupiens consecrare. non inerto au-
ri argenti ve pondere conflata. que post rex babiloni-
us capta concubinarum suarum ac principum deputet
voluptati sed animabus sanctis que innocencie iusticie

castitatis et caritatis integritate fulgentes regem
Christum in semetipsis circumferunt commorantem: egenum
me quoque et ex parte pauperrimum ad communionem tanti
operis dignaris adsciscere. In provincia siquidem cenobi-
orum experti provincialium orientalium maximeque egyptiorum
volens instituta fundari: cum sis ipse cunctis virtutibus
scientiaque perfectus et ita universis refectus divitiis
spiritalibus ut perfectionem querentibus satis habundeque non
modo tuus sermo. sed etiam tua vita sufficiat ad
exemplum: me quoque elinguem et pauperem sermone atque
scientia. ut aliquid ad supplementum tui desiderii de inopi-
a sensus mei conferam poscis: precipisque ut instituta
monasteriorum que per egiptum ac palestinam custodiri con-
speximus: ita ut ibi nobis a patribus tradita sunt.
quamvis imperito digeram stilo: non leporem sermonis
inquirens. in quo ipse apprime eruditus es: sed sanctorum
simplicem vitam simplici sermone. fratribus in novello
monasterio tuo cupiens explanari. Cui rei quantum
me pius ardor desiderii tui provocat obedire: tantum
multiplices eius moles volentem obtemperare deter-
rent. Primum quia nec vite mee ita equiperant
merita: ut confidam me res tam arduas. tam obscuras
tam sanctas digne posse animo ac mente complecti. Deinde quod
ea que a pueritia nostra inter eosdem constituti atque ipsorum
incitati cotidianis adhortationibus et exemplis vel
agere temptavimus vel didicimus vel visu percepimus
minime ad integrum possimus retinere tot annorum circulo
ab eorum consortio et imitatione conversationum abstracti:

conferri cum harum rerum racio nequaquam possit ociosa me-
ditatione doctrinaque verborum vel tradi vel intelligi vel
memoria contineri. Totum enim in sola experiencia usuque consistit:
et quemadmodum tradi nisi ab experto non queunt: ita nec
percipi quidem vel intelligi nisi ab eo qui ea pari stu-
dio ac sudore apprehendere elaborauerit possunt: que
tamen si collatione iugi spiritalium virorum frequenter dis-
cussa non fuerint et expolita: cito rursum mentis
incuria dilabuntur. Tercio quia idipsum quod utcumque
non pro merito rei, sed pro presentis temporis statu possu-
mus remisci: imperitior sermo congrue non valet
explicare. Huc accedit quod super hac re viri et vita
nobiles et sermone scienciaque preclari. multa iam
opuscula desudarunt: sanctum basilium et ieronimum
dico aliosque nonnullos: quorum anterior sciscitantibus
fratribus super diuersis institutionibus vel questionibus non
solum facundo. verum eciam diuinarum scripturarum
testimoniis copioso sermone respondit. Alius vero
non solum suo elucubratos ingenio edidit libros:
verum eciam greca lingua digestos in latinum vertit
eloquium. Post quorum tam exuberancia eloquencie
flumina. possem presumptionis non inmerito notari.
si aliquid stillicidii huius conferre temptassem: nisi
ad hec me fiducia tue sanctitatis animaret. et spon-
sio quod vel tibi hee nuge forent accepte qualescumque
essent vel eas congregacioni fratrum in nouello mo-
nasterio tantum commoranti deputares: qui si quid
a nobis minus caute forsitan prolatum fuerit.

et pie relegant et cum venia indulgentiori sustentent : fidem
potius sermonis mei quam venustatem eloquii requi-
rentes Quapropter beatissime papa unicum religionis
et humilitatis exemplum tuis precibus animatus · secundum vires
ingenii mei aggredior opus quod iniungis : et ea
que omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris
utpote que audita potius quam experta describere tempta-
uerunt : velud rudi monasterio et in veritate sicientibus
intimabo Nec plane mirabilium dei signorumque nar-
rationem studebo contexere : que quamvis multa per seniores
nostros et incredibilia non solum audierimus · verum etiam
sub obtutibus nostris prospexerimus impleta : tamen hiis
omnibus pretermissis que legentibus preter admirationem
nichil amplius ad instructionem perfecte vite conferunt :
instituta eorum tantummodo ac monasteriorum regulas
maximeque principalium viciorum · que octo ab eis designantur
origines et causas curationesque secundum traditiones
eorum quantum potuero adiuvante domino fideliter explicare
contendam Positum siquidem michi est non de mirabilibus
dei · sed de correctione morum nostrorum et consummatione
vite perfecte · secundum ea que a senioribus nostris accepimus
pauca disserere In eo quoque tuis preceptis satisfacere
studebo : ut si quid forte non secundum typum maiorum
antiquissima constitutione fundatum sed pro arbitrio
uniuscuiusque instituentis monasterium uel diminu-
tum uel additum in istis regionibus cum probauero : se-
cundum eam quam vidimus monasteriorum regulam per egyptum
uel palestinam antiquitus fundatorum fideli sermone

uel adiciam uel recidam. Nequaquam enim credis racio-
nabilius quippiam uel perfectius nouellam constitucionem
in occiduis galliarum partibus reperire potuisse: quam sunt illa
instituta in quibus ab exordio predicacionis apostolice a
sanctis ac spiritalibus patribus fundata monasteria ad
nos usque perdurant. Illam sane moderacionem opusculo
huic inserere presumam: ut ea que secundum egipciorum regulam
seu pro asperitate aeris seu pro difficultate ac diversi-
tate morum inpossibilia in hiis regionibus uel dura
uel ardua comprobauero institutis monasteriorum que per
palestinam uel mesopotamiam habentur aliquatenus
temperemus. quia si racionabilis possibilium mensura
seruetur: eadem obseruancie perfectio est eciam in impari
facultate. Explicit prologus. Annotacio capitulorum
libri sequentis. capitulum primum

De cingulo monachi ii De veste monachi iii
De cucullis egipciorum iiii De colobiis egipciorum v
De rebrachiatoriis eorum vi De mafortibus eorum
vii De melote et pelle caprina viii De baculo ix
De calciamentis eorum x De temperamento obseruancie
que secundum aerum qualitatem uel usum patrie sit tenenda
xi De cingulo spirituali et sacramento ipsius Ex-
plicuit capitula. Incipit liber primus intitulatus de habitu
monachorum De cingulo monachi capitulum i

De institutis ac regulis monasteriorum
dicturi unde competencius donante
domino quam ex ipso habitu monachorum
sumemus exordium. Quorum interiorem